

1991-08-02 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Inter Sacras’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

INTER SACRAS

**PAROECIALE TEMPLUM SANCTO STAPHANO PROTOMARTYRI DICATUM,
QUOD IN OPPIDO «SESTO SAN GIOVANNI»
INTRA FINES MEDIOLANENSIS ARCHIDIOECESIS EXSTAT,
AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – Inter sacras aedes Mediolanensis archidioecesis, clarissimorum Pastorum Ambrosii et Caroli mirabili exemplo sanctitatis illustratae, novimus eminere quoque templum paroeciale Sancto Stephano Protomartyri dicatum, quod, in frequenti et quaestuosa industria locupleti oppido «Sesto San Giovanni» situm, a florenti eiusdem loci communitate centrum habetur christianae suae vitae operumque pastoralium et caritatis, praesertim in senes, advenas, aegrotos et pauperes. Qua re, cum Venerabilis Frater Noster Carolus Maria S. R. E. Cardinalis Martini, Archiepiscopus Metropolita Mediolanensis, litteris die XIX superioris mensis datis, etiam parochi ecclesiae clerique populi sui nomine petiverit ut idem templum titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestarem, Nos, paternae dilectionis Nostrae signum tam caris filiis cupientes praebere, illius dignissimi Pastoris precibus censemur libenter obsecundare. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum Nobis proposita, quam ratam habemus, Apostolica Nostra usi potentate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum paroeciale templum, de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae Minoris decoramus, cum omnibus iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt; iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras Nostras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Augusti, anno MCMXCI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretaries Status